

ut res nedum Aquilejenses, sed Forojuliensis omnes, erutas e tenebri in lucem proferret. I. enim libro accuratissimam exponit provinciae descriptionem. II. amplectitur res Forijulii antiquissimas, primosque illius accolae & dominos. III. enarrat bellum illuc ab Hunnis, Attila duce illatum. IIII. praecipuos refert eventus, Langobardis regnantibus. V. intestinos bellorum casus sub Aquilejensibus Patriarchis. VI. tandem exsequitur clades quibus a Turcis vastata ea provincia est annis M.CCCC.LXXII. & M.CCCC.LXXVII. opusque claudunt Benedicti Trivisani laudes, qui eodem anno M.CCCC.LXXXII. (a) cunctis laudatissimus Forojulio praecerat, a Byzantina legatione reversus, qua pacem Reipublicae suae nomine cum Turcarum rege sanciverat. De hoc autem amplissimo senatore, quo patrono praecipuo usus est Sabellicus, alibi occurret sermo.

(a) Pallad.
ibid. p. 61.

Credibile est, id Sabellici opus, cum Utinensibus, tum etiam universis pergratum fuisse, cum ipse literis ad Cantalycium datis testetur se omnium favore adductum esse, ut aggrederetur majora. Sed tam nostrae, quam peregrinae historiae tractandae cupidus, id demum varia & assidua lectione sum assecutus: ut Aquilejae vetustatem scribere exorsus (inde enim rem tantam auspiciari libuit) MELIORE omnino quam putaram EVENTU sum eo labore defunctus: sex enim libros, quibus sum id argumentum complexus, in apertam relatos, cum MAJORE FAVORE, quam sperare ausus essem, receptos viderem, blandiente successu, ad majus omnino opus animum adjeci, &c. Georgius Merula, Alexandrinus, caeteroque haud illi amicior, literas ad ipsum dedit, quae libro II. inter Sabellici epistolas exstant, laudibus ejus operis refertas, celebrans distinctionem, methodum, stilum, resque ipsas ac presse ac perspicue ex dignitate tradi. Aliqua nihilominus a doctissimis & prudentissimis viris ipsi & generatim & speciatim objecta reperio. Vitio illi vertitur, in eo pariter atque in operibus aliis, recti ordinis chronologici neglectus, factorum ac temporum confusio, indigesta rerum plurium congeries, & quod omnia exponantur eorum more qui breviarium potius, quam qui justam texunt historiam. Primus is fuit qui narraret (b), Utinum ab Hunnis conditum, ideoque Unnium vel Hunnium latine dicendum citius quam Utinum. Neque illum quispiam secutus est, opinantem (c) vetus oppidum, olim Castrum Julium appellatum, quod aliud a Julio Carnico fuit, non esse idem ac Forum Julium, quod hodie vulgo Civile vocant, atque olim quoque Civitatem Austriae nuncuparunt. Praeterea Antonius de Francischinis, a Glemona (locus nobilis & frequens est in Forojulio) librum scripserat, quo egregiae Patriae nostrae laudes uberrime continentur: ut de illo testatur Jacobus Parliliarum Comes quadam ab Antonium eundem epistola (d). Plurimum in opere suo ille Sabellicum commendabat, quod postea Parlilianus amici, doctissimi viri, judicio subjecerat. Parlilianus autem in hanc sententiam illi responderet: De libello tuo quod sentiam, paucis referam: brevis arte est, & gravis: multaue paucis, & illis quidem ornatissimis in eo complexus es verbis: unum tamen ingenue fateor mihi plurimum displicuisse: nam quadam in illis parte refert gestorum Forojulienfium veritatem penes Marcum-Antonium Sabellicum esse: quasi bonus vir ille veritatem aliquam in opusculo illo suo descripserit: omnia in eo visu digna: & quae a mulieribus potius ad ignem referantur, quam a prudentissimis viris audiantur leganturve. Sed quid multis

(b) De vest.
Aquil.
lib. I. & III.
(c) Ibid. lib.
I.

(d) Epist.
lib. I. p. 8.